



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XVII. Decembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

Ad quod impetrandum: hodiernâ die ante solis ortum Deiparam tanquam auroram, solem Christum parituram, salutare conabor.

Habet Maria cum oliva, quod fiat lucis materia, recreet lassitudinem, relaxet laborem, caput exhilaret, & ad certamina opem ferat. *S. Greg. Nyss. hom. 5. in cant.*

Quæstio: An Christus in utero Virginis conceptus Dæmonem latuerit? *v. Barr. to. 1. in Ecc. l. 6. c. 7.*

XVII. DECEMBRIS.

S. Furseus sacerdos Deiparæ Virginitatem suâ imitari conatus, eidem templum condidit, ubi de eadem missam legit, & multis ad eam precibus diem egit, sub quibus sæpius abreptus in extasim vidit Deiparam à choro Sanctorum omnium laudibus celebrari. *Mayr. Inchoa nunc, quod æternum facturum es.*

S. Furseus, qui à terrenis abstractus pura è cælo hausisti solatia, horum unicum universis mundi gaudiis præferens, ora pro me Deiparam, ut cor meum terrenorum cupiditate expediam, & omnem affectum eò transferam, ubi tu nunc cum Sanctis & Angelis Deum & Deiparam laudas & benedicis. *O Sanctissima DEI, &c. f. 190.*

Ad quod impetrandum: Cum P. Nunnio S. J. orabo ante cubitum Deiparam, ut sancta mihi dormienti somnia immittat, ut sic eam etiam in somno amem.

Cum multa nobis bona, quæ nullius ord-

tio possit consequi, Deiparæ operâ nobis contingant, eam bene merenti vicem rependamus, quæ in nos reciprocetur. *S. Basil. or. 39.*

Quæstio: Cur Deipara Josepho mysterium incarnationis non revelaverit? *v. Cornel. à Lap. tr. I. f. 55.*

XVIII. DECEMBRIS.

S. Euphrosyna Virgo vovit Deo virginitatem, vi desponsata, dum diu noctûque Deiparæ pro consilio supplicat, repente adstat anxie vir incognitus, qui eam Monachi in morem radit, vestem mutat, utque monasterium (nullum quippe aliud erat) ingrederetur, monet: agit illa, sed ne decore formæ, quæ pollebat, ulli noceret, 38. annis cellæ inclusa delituit. *Mayr. Fœmina hæc viros confundit.*

S. Euphrosyna tuæ, aliorumque salutis studiosissima, ora pro me Deiparam, ut & peccandi occasiones fugiam, & illa mihi in omnibus & consilio adesse velit, & auxilio, in iis potissimum, quæ corporis & animæ puritatem spectant. O Sanctissima Dei &c. *fol. 190.*

Ad quod impetrandum: Festum hodiernum Deiparæ Expectationis paritatis, agam gratulando Mariæ de omnibus solatiis, quæ à filio in utero suo virginali quiescente accepit.

Deus omnem bonorum plenitudinē posuit in Maria, ut si quid salutis, si quid spei in nobis sit, per eam noverimus redundare. *S. Bern.*

Quæstio: Quamdiu S. Joseph fuerit in dubio de prægnante Virgine? *v. Aponte in c. 1. Mach.*